Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 995
Quelle:
Copyright:

primum de Linguae moderamine, dein de fuga Superbiae, Invidiae, Irae &c. Verum, ut monui, multa putredine conſumta, alia extrita ſunt, et Librarius ſpatio arctatus ſub finem literas minuit, lineas denſavit.

CCCCXXVII.

R. 1986 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 195. f. per duas columnas luculente exaratus, coloribus diſtinctus et olim *Domus orti beate marie prope pragam Ordinis Carthuſienſium* continet D. *Bernhardi Abb. Claraevall. Sermones in Cantica Canticorum.* In edit. *Maur. Pariſ.* T. IV. habentur horum *Sermonum* LXXXVI. in praeſenti Codice numerantur LXXXIII. Ita enim Rubrica calcis: *Notandum quod in hoc libro continentur LXXXIII. ſermones quos beatus bernhardus compilauit ſuper cantica canticorum. et in eisdem ſermonibus tantummodo duo capitula cum dimidio* (ne id quidem, ſed ſtitit in C. 3. v. 1.) *exponuntur. Aut forte morte preuentus plura non edidit. aut ſi de hoc plura ſcripſit. hec in hoc volumine non habentur.* Verum adhibito examine deprehenduntur in Codice nonniſi *Sermones* LXXXII. Ultimus enim non eſt, niſi repetitus *Quinquageſimus tertius*, in quo poſt verba ſub initium: *obſervante etiam hic ordinem* — multa deſunt, quae in ultimo ſubplentur. In Textu paucae ab Editis occurrunt differentiae, nec, quae illum perficiant. In principio *Serm.* XX. *Ut a Magiſtri verbis* &c. Codex recte interponit *Gentium.*

CCCCXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 133. f. per duas columnas nitidiſſime exaratus, picturatis initiorum literis, prioribus tamen 14. Textus foliis ab alia minus eleganti manu, ut videtur, ſubpletus continet D. *Bernardi* Abb. *Claraevall. Sermones in Cantica Canticorum* numero LXXXIII. Igitur poſtremi IV. editionis *Maur.* T. IV. *col.* 1557. abſunt. Textum praecedit *Regiſtrum ſive Tabula Cantici Canticorum* cum *Prologo*, quo fuſe ejus uſus docetur. Lectio proba eſt. R. 3297

CCCCXXIX.

Codex partim membraneus, partim chartaceus Sec. XV. Folior. 225. f. per duas columnas non eadem manu, nitide tamen exaratus, minio diſtinctus, et prius *fratrum Carthuſienſium domus Porte beate Virginis Marie*, videlicet in *Axpach*, continet I. *Sermones LXXXIII. D. Bernardi Claraev. Abb. in Cantica Cantic.* prorſus ita comparatos, inſcriptos et Elencho inſtructos, ut e Codice *Carthuſienſium prope Pragam* paullo ante retuli, unde illius Απογραφον puto. Scriptor ſe verſus pangere ratus haec ad Elenchum rubro ſubjecit: R. 2010

Dies